



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 21. Sextum Concilium Provinciale a sancto Carolo celebratum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI
A.C. 1582.

cratos in sacris pietatis operibus transigebant, quapropter hunc in finem gregem suum in continuis devotionis exercitiis distentum tenebat, postremis etiam diebus, quæ jejunium verum præcedunt.

§. XXI.

Sextum Concilium Provinciale a sancto Carolo celebratum.

*Giuff. l. 6. c. 13
Labbe Conc. t. 15. p. 706.
Spond. n. 21.*

Postea sanctus Carolus Borromæus die decima Maji sextam celebrabat provincialem Synodum, cui novem intererant Episcopi, iique erant Tortonenis, Cremonensis, Bergomensis, Brescienis, Astensis, Alexandrinus, Albiensis, Ventimiliensis, & Casalensis præter Aquensis, Novarrensis, Vercellenfis, Savonensis, & Laudensis Episcoporum Procuratores: postquam igitur sanctus Carolus hujus sacri confessus locum imaginibus, quæ Diæcesium in sua Provincia sitarum divos Tutellares exhibebant, exornari jusserat, ad initium hujus Concilii orationem habuit, in qua Episcopos Fratres suos ad amplectendam vitam vere Apostolicam hortabatur, & fusius excurrebat in explanandis illis Divi Pauli verbis, quæ in Actis Apostolorum leguntur: *Attendite vobis, Et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam*

clesiam Dei, quam aquisivit sanguine suo: nec illa Christi Domini verba apud sanctum Lucam prætermisit: Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis. Hos textus præcipue Episcopis adaptari posse ostendit, eo quod hi utpote Apostolorum Successores cuncta hujus sæculi bona contemnerent, ac primorum fidei nostræ Pugilum vestigia premere teneantur: insuper illis ob oculos ponebat cunctas corruptelas, & depravatos mores, qui per Provinciam grassari dicebantur, quam in rem illis media hisce morbis applicanda proponebat, demum vero zelo prorsus Apostolico illos rogabat, quatenus perpenderent, quod tanquam spirituales Medici a Deo constituti remedia ad sanandum hoc vulnus necessaria exquirere adstringantur, porro nihil magis opportunum esse ajebat, quam decreta, & sacrarum Synodorum Constitutiones in usum deducere, eapropter ad eas exacte servandas omnem suam auctoritatem impendere suadebat. Denique hanc in rem proferebat illa verba, quæ olim Deus ad Josue dixerat: *Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo: sed meditaberis in eo diebus, ac noctibus, ut custodias, & facias omnino, quæ scripta sunt in eo.*

Sæcul. XVI.

A.C. 1582.

§. XXII.